rum duorum corporum prouenirent. Atque hæc ſecunda eſt corporum cognatio cum concordijs Muſicis. Sed quia cauſas huius cognationis ignoramus, difficile eſt acommodare ſingulas harmonias ſingulis corporibus.

Videmus quidem duos harmoniarum ordines, tres ſimplices perfectas, & duas duplices imperfectas: ſicut tria primaria corpora, duo ſecundaria: verùm cum reliqua non conueniant, deferenda eſt hæc conciliatio, & alia tentanda. Nempe ſicut Dodecaedron & Icoſaedron ſuo decangulo ſuprà auxerunt duodenarium vſque ad 120: ita hîc imperfectæ harmoniæ idem faciunt.

Erunt igitur ad Cubum, Pyramida & Octaedron accommodandæ perfectæ harmoniæ, ad Dodecaedron & Icoſaedron imperfectæ. Quo accedit & illud, atque hercle indicem digitum ad cauſam harum rerum occultiſsimam intendit, quod proximo capite habebimus: duos nempe eſſe Geometriæ theſauros, vnum, ſubtenſæ in rectangulo rationem ad latera; alterum, lineam extrema & media ratione ſectam, quorum ex illo Cubi, Pyramidis & Octaedri conſtructio fluit, ex hoc verò conſtructio Dodecaedri & Icoſaedri. Vnde tam facilis & regularis eſt inſcriptio Pyramidis in cubum, Octaedri in vtrumque, ſicut Dodecaedri in Icoſaedron. Vt autem ſingulæ harmoniæ ſingulis corporibus accommodentur, non ita in promptu eſt. Illud ſolùm patet, Pyramidi deberi harmoniam, quam quintam dicunt, quartam in ordine, quia in ea minor portio eſt $\frac{1}{3}$ pars integræ, ſicut latus trianguli (quo Pyramis vtitur) ſubtendit $\frac{1}{3}$ circuli. Hoc plura infrà confirmabunt, vbi de aſpectibus agemus, quæ vt hîc etiam intelligamus, omnino ita cogitemus, quaſi fides ſit non recta linea, ſed circulus. Dabit igitur diuiſio harmoniæ dictæ triangulum: in quo angulus lateri opponitur, planè vt in pyramide angulus plano. Remanent igitur Cubo & Octaedro octaua & quarta dictæ, tertia & ſeptima in ordine. Sed vtrum eorum vtram harmoniam tenebit? vtrùm dicemus ſecundaria recipere eas, quæ lineas ſcribant, & primaria, quæ figuras? tum Cubo debebitur quarta dicta. Nam ſi ex fide circulum facias, & ex vna quarta rectam vſque aliam ducas tamdiu,